

series transversales positis, innumeris, sed iis acheniorum radii multo minoribus obsoletae.

*Pappus* sessilis, tenacissime persistens, sordide albescens, constans radiis nr. 10, simplici serie dispositis, nec setis simplicibus intermixtis;

*Radii* parce plumosi: plumulis vero longis, tenuissimis, facile caducis, basi in scariositatem latam, dorso linea flavicante designatam, utrinque expansi.

*Observ.* Plumulae in hoc genere in planta adhuc florente sunt examinandae, nam in deflorata non raro paucissimas tantum invenies, imo radios plumulis penitus destitutos et tunc pro simplicibus habendos.

(Herbae annuae (aut biennes?), glabrae, graciles, ramosae, foliis omnibus radicalibus, pedunculis squamatis, crateris mediterranei regionem incolentes.)

*Spec* 1. *Kalbfussia Salzmanni* mihi.

*Acheniis* radii iis disci triplo brevioribus, apicem versus latioribus, apice truncatis, disci substipitatis.

Folia obverse lanceolata, sinuato-dentata, aut pinnatifida, dentibus pinnisve plurimis, acutis. Anthodii squamae glaberrimae.

⊙. (2?) *Patria*: in vineis tingitanis (Fetz et Marocco) vere anni 1824 legit speciem nostram cl. Salzmann et sub nomine *Apargiae verna*e communicavit (v. s. in herbario inclytae Academiae Monacensis).